



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 34. Lutherana sanctio circa impedimenta Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

triumphales arcus ac honorum statuas Sæc. XVIII.
 Romæ erigi curavit. Cum vero Pon- A. C. 1740.
 tifex probe perspiceret, quod non modo
 Maria Theresia Hungariæ Regina post
 Patris sui obitum, sed etiam Hispaniæ
 Rex Etruriam, Parmam & Placentiam,
 quem utrumque Ducatum Ecclesia Ro-
 mana sibi feudi nomine proprium cen-
 sebat, sibi vendicaturus esset, hinc bel-
 lum in Italia inde oriturum prævenire,
 totis viribus conabatur: ut vero præfa-
 tum Regem sibi amplis demeretur fa-
 voribus, eidem pro ferendis belli con-
 tra Anglos moti expensis decimam red-
 dituum partem ab omni Clero exigendi
 potestatem fecit, & Hispalensis Archie-
 piscopatus amplissimos proventus Tole-
 tano Archiepiscopatu in favorem Lu-
 dovici Cardinalis Regii Filii adjunxit,
 pluraque alia ad Regis preces concessit.

§. XXXIV.

*Lutherana sanctio circa impedimenta
 Matrimonii.*

Sub idem tempus Fridericus Borussiæ
 Rex die decima tertia Junii, ut in
 suis ditionibus incolarum numerum au-
 geret, Prædicantibus inhibuit, ne pro
 impedimentorum dispensationibus pe-
 cuniam acciperent, sed potius in om-
 nibus affinitatis vel consanguinitatis gra-
 di-

Sæc. XVIII. A. C. 1740
 dibus nisi a Deo clare sint prohibita
 quoscunque gratis conjungant. Accep-
 to hoc Regis decreto Mindenses
 Prædicantes dubii hærebant, quia
 gradus a Deo clare sint vetiti; quamvis
 enim sacram Scripturam omnino cla-
 ram esse jactarent, fateri tamen co-
 gebantur, nondum esse decisum, an
 quosnam casus sacræ Paginæ prohibi-
 tionem matrimoniorum extendat, et
 utrum ad solas duntaxat Personas in-
 ter
 lis expressas lex prohibens restringatur,
 vel an etiam Divina lex *personas ipsas non*
enumeratas propter rationis identitatem
 complectatur. Hanc difficultatem
 geri putabant ex eo, quod Levit. XVIII
 v. 6. matrimonia inter proximos con-
 sanguineos generaliter prohibeantur,
 nec definitum legatur, an hac lege et-
 iam comprehendantur persone non
 ibi expressæ, quæ tamen ob rationis
 identitatem comprehensæ videntur.
 Id ergo decidi, ac præcipue generalis
 regulam statui petebant, *an matrimonia*
in consanguinitate duntaxat usque ad gradum
secundum lineæ collateralis æquivalentur?
Et in affinitate ad secundum genus, et
omnibus quoque ceteris casibus, ubi re-
lativus adest parentelæ (quæ tamen sese ultra
Fratrum & Sororum liberos consanguini-
mitate, & in affinitate ultra primum gradum
non extendit) sint prohibita? Igitur hæc

hanc quæstionem a suo Principe (utpote Sæc. XVIII. A. C. 1740. cui jus Pontificium in sacra, soli juxta ipsos competit) decidi petierunt, eo quod, addebant ipsi, inconvenientissimum foret, si *cuius matrimonii prohibitionem ex S. literis declarandi facultas concederetur* (forte in quibusdam vel otiosus vel stupidus est spiritus privatus) Hoc ergo dubium dissolvere, ac certum principium, juxta quod occurrentes casus deciderentur, statuere, Berolinensi Consistorio, cui utique præ Mindensi, infalibilitatis donum competiisse necesse est, die duodecima Julii demandatum est, cujus etiam decisio Regis jussu ab omnibus Prædicantibus promulgata, atque executioni data fuit, & Georgius Henricus Styrrer Juris Professor Borussicum hoc edictum edita *commentatione academica de jure dispensandi circa connubia jure Divino diserte prohibita illustravit.*

§. XXXV.

Scriptorum Religione Catholicorum opera & obitus.

Hoc item anno plures eruditione clarissimi Viri Orbi literario per commune mortalium fatum erepti fuere. Hos inter primum sibi locum vendicat Cacciaturus de Arachiele natione Armenus, Theologiæ Doctor ac Missionarius, qui Arzerone in Armenia minore natus
Hist. Eccles. Tom. LXXVII. Y tus